A Sequanensibus videlicet Rolloni suisque Comitibus, pro tutela Regni. Idcirco autem res prædictæ Abbatiæ, cum omnibus villis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, aquarumque decursibus, farinatiis, cum mancipiis & colonis, & cum omnibus aliis appendiciis ibidem (excepta portione Nortmannorum) tradere & subdere & confirmare decrevimus, ad victum, vestimenta, seu etiam ceteros usus congregationis S. Germani; quatenus singulis annis, quarto idus Februarii, anniversarium nostræ dilectissimæ conjugis Friderunæ, cum Vigiliis Missarumque oblationibus frequentent; diem quoque nostræ unctionis, quinto Calendas Februarii, solennitate S. Agnetis, cum summa refectione celebrent. Post obitum vero nostrum mutentur & orationum & refectionum præsidia in diem nostræ migrationis. Et super hanc cessionis auctoritatem hoc nostrum regale præceptum fieri jussimus: per quod decernimus atque jubemus, ut nullus quilibet fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ præ-
B sentium & futurorum, de prænotatis rebus inquietudinem, aut refragationem, vel præjudi- D
cium, seu violentiam nec ipse Abbas ejus cœnobii facere tentet: sed potius, sine ulla subtractione vel diminoratione atque divisione, liceat eas res eidem Congregationi cum omni integritate inviolabiliter, absque ulla calumnia & contradictione, securiter ac perpetualiter possidere & frui. Ergo hæc nostræ auctoritatis præceptio, ut firmiter continuationis vigorem obtineat, ac veraciter per curricula annorum succedentia credatur; manu propria subter firmantes, annulo nostro eam jussimus insignari.

*hujus monasterium subjicit ut monasterio S. Germani.*

*Signum Caroli Regis glorioſiſſimi.*

GOzlinus Notarius, ad vicem Herivei Archiepiscopi summique Cancellarii, recognovit. Datum II Idus Martii, indictione VI, regnante Carolo Rege glorioso, redintegrante XXI, largiore vero hereditate indepta VI. Actum Compendio Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen. Amen. E

# DE S. ENGELMUNDO PRESBYTERO

## *VELSENÆ IN HOLLANDIA.*

### SYLLOGE HISTORICA.

G. H.

### De ejus cultu, vita, miraculis.

SEC. VIII.

*Cultus Velsenæ & in diœcesi Harlemensi.*

*Arlemum, urbs magna Hollandiæ atque caput Kennemariæ, Episcopalis facta est, dum fides orthodoxa ibidem adhuc floreret: in cujus diœcesi & quatuor circiter passuum millibus ab ea versus Septemtrionem dissita, est* Velsena, *vicus cum arce, Patronum agnoscens* S. Engelmundum, *de quo hic agimus. Habemus Officia propria Archiepiscopatus Ultrajectensis, & Episcopatuum suffraganeorum Harlemensis aliorumque, anno* MDCXL *auctoritate Philippi Archiepiscopi Philippensis & Vicarii Apostolici excusa, in quibus ad hunc* XXI *Junii, pro tota diœcesi Harlemensi, præscribitur*

C *Officium de* S. Engelmundo *sub ritu duplici, & in primo Nocturno recitantur Lectiones de libro Ecclesiastici,* Sapientiam omnium antiquorum, *ut in Communi Doctorum. In secundo Nocturno præscribuntur de rebus ejus gestis Lectiones hæ propriæ.*

*Cum lectionibus ubi dicitur*

2 Engelmundus, natione Anglus, de stirpe Frisonica, piis natus parentibus, & à prima ætate studiis applicatus, rara docilitate, Christianæ doctrinæ & virtutum semina apprehendit. In flore juventutis, parentum domo relicta, Ordinem S. Benedicti ingressus, humilitatis obsequia gnaviter sectans, in pœnitentiæ exercitiis & monastica disciplina colenda strenuus fuit. Misericordiæ operibus strenue vacans, castitatem animi & corporis per sobrietatem & orationis studia mirifice coluit, ut membra sua exhiberet arma justitiæ in sanctificationem. Ad Sacerdotium promotus, & à Fratribus in Abbatem electus, prudenti simplicitate, verbo & exemplo suis præluxit. Mansuetudinis humilitatisque virtutes jugiter exercens, omnibus se acceptum reddidit. In hospitalitate erat benignus, in docendo & monendo assiduus, necnon acer in corripiendo; ita ut ipso dirigente, perfectionis regula multum vigeret.

*Anglus,*

*Presbyter, Abbas,*

3 Temporibus S. Willibrordi divino instinctu Engelmundus venit in fines Hollandiæ, ad eam partem, quæ Kennemaria dicitur: ubi indomitis ac ferocibus populis Jesu Christi Euangelium prædicavit. Et cum Angelicâ præditus eloquentiâ, fideliter in animarum messe desudasset, plurimasque animas in Christi Ecclesiam congregasset; febri correptus, & obitus sui diem instare prospiciens, convocato clero ac populo valedicens, salutaria dedit monita; & sacro munitus Viatico, plenus dierum & bonorum operum, beatam Creatori animam reddidit; ac honorifice sepultus, quievit in pago Velseno diœcesis Harlemensis: ubi olim una fuit ex quinque matricibus Ecclesiis, à S. Willibrordo inter Mosam fluvium & Texaliam insulam extructis.

*prædicasse in Kennemaria,*

*à morte Velsenæ depositus.* F

4 Hic Sanctus aquam de terra oratione sua produxit: quæ etiam nunc hausta, pluribus sanitatem adfert fidelibus, & maxime dentium dolores curat. Eaque, ut vetus habet traditio, in modum rivuli ædes habitationis ipsius præterlabi solet: cujus rudera in campo, Velsanæ ecclesiæ vicino, adhuc extant, & pia devotione à fidelibus visitantur. Sacrum ejus corpus Baldericus Ultrajectensis Episcopus per mysticam revelationem inveniſſe creditur, cum multis aliorum Sanctorum corporibus, quibus diœcesim suam honorifice adornavit. Caput sancti, auro involutum, ante annos aliquot furto ablatum est: ceteræ Reliquiæ à Geusiis per templi pavimentum dispersæ, sed à custode fideliter collectæ, in Cathedrali civitate Harlemensi tuto loco conservatæ sunt.

*& miraculis clarus.*

*corpus à Balderico Ep. inventum.*

*nunc Harlemi servatur.*